Zyznowski Stanislai: Bonus Patriae Senator et Antistes ca d. Paulo Piasecki. 1649.

BONVS PATRIÆ SENATOR & ANTISTES

EX

Illustrissimo olim, & Reuerendissimo Domino.

D. PAVLO PIASECKI.

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPO PRÆMISLIENSI

ABBATE CLARÆ TVMBÆ,

descriptus

ET

In exequiis eiusdem solemnibus Ad feralem vrnam, IX. Calen. Octob.

Anno MDCXLIX in Ecclesia Mogilen. luci publicæ exhibitus.

PER

M. STANISLAVM ZYZNOWSKI,
In Alma Academia Cracouiensi Professorem

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Martini Filipowski.



Effigiem cernis PIASECI, laurea cingit
Laurea qui ſcripſit, laurea iure gerit.

Perilluſtri & Reuerendiſsimo Domino

D. REMIGIANO PIASECKI.

Abbati Claræ Tumbæ, Cantori Præmisl. Regenti Cancellariæ Regni S. R. M. Secretario.

D. meo & Benefactori perpetuam cum plurimis annis felicitatem.

QVem intra pectoris anguſtias, ex occaſu Illuſtriſs. Patrui
Tui conceperam dolorem, Rndiſsime D. eundem ad fune-
bres exequias lugubri obteſtor calamo. Neq; enim aliter,
literati viri prodit ſe affectus, quàm per ipſas literas: cùm
hæ ſecretos quosq; reuelent mentis conceptus. Cedant lachrymæ præficis,
veſtes pullatæ conſanguineis, ſolæ literæ, ſint literatorum, ſynceri monu-
menta doloris. Difficile mediusfidiùs erat, obſerare venienti pectus mæ-
rori, quod ſemper reciproco patebat amore. Dignus ſcilicet Senator, Illu-
ſtriſs. & Rndiſs. PAVLVS PIASECKI, *Præmislien. Epiſc. cuius mor-*
tem, cælum lugeat Academicum, quia ſuum Athlantem, ſuum amiſit
Protectorem & Mecænatem. Clara erant, propenſiſsimi animi eius, erga
Viros Academicos argumenta, quibus arctiſsimo quodam mutui amoris, fuit
coniunctus nexu. Vt enim clariſsimos illos, Septemtrionis latepatentis refe-
rem Viros, Adamum Opatouium, & Jacobum Vitellium; iſti, cara erant
apud Illuſtriſs. Senatorem pignora, quos inuſitatæ humanitatis obſeruan-
tiâ, & incredibilibus proſequebatur amicitiæ officiis. Simili exemplo, Tu
quoq; Rndiſsime Dne, Almæ Matri noſtræ, lumen beneficum fieri con-
tendis, cuius alumnos, beneuolentiæ Tuæ radiis, ſerenare non dèdignaris.
Noui benè propenſiſsima ſtudia Tua, quomodo & bonum Vniuerſitatis incly-
tæ, laudemq; apud Sereniſsimos Reges, & principes Reipub Viros promoue-
as: vt vel hoc ſolo nomine, hæreditariam Illuſtriſs: Patrui Tui Virtutem
continuare videaris. Proindeq; tuis meritis parem à Viris Academicis ſem-
per referes gratitudinem, quorum nomine, & hæc præſens lucubratio, Tuo
ampliſsimo litari debuit Nomini. Ita tamen, doloris noſtri intellige neceſsi-
tatem, vt plus hactenùs gaudere debeamus quàm dolere. Viuit in Te no-
ſter protector, viuit Patronus: hâc interim gaudemus felicitate, quam Ti-
bi, non fauor fortunæ, ſed illuſtris & heroica parauerat virtus. Meritò
Claræ Tumbæ Abbatiam poſſediſti, quia clares meritorum gloria, Virtuti-
bus inclytus haberis. Nihil profecit fortuna, quæ Te inuidiæ iaculis & li-
uore maligno opprimere ſtudebat: non oppreſsit, ſed in maiorem euexit glo-
riam, dum virtutis Tuæ inuictam oſtendit fortitudinem. Erat tempus,
dùm homines virtutem ſeruam eſſe fortunæ putabant, quam cum domi-

 nam

nam cognouerunt, adorare debuerunt. Et Tuæ virtutis plurimos docuit euentus, humanam sapientiam; frustrà contra hoc niti, quod semel diuinum decreuit consilium. Cælum ipsum huic adspirauerat felicitati nam diem ingressus Tui, præter solitum serenauit; aliis diebus crebris, imbribus largum. Si tamen Tuorum amplitudinem meritorum, ad stateram iustitiæ bonus iudex librauisset, maiora virtutis Tuæ dignitatem meruisse, affirmare debuisset. Clara vtiq; res recenti documento; plura Tu meruisti, Reipub. cum salutis dispendio inseruiendo, quàm aliquis dormiendo. Et hanc, quam præsentis belli tempestate acquisiuisti laudem, tantam habes, quantam, is non habuit vnquam, qui Tuæ inuidit felicitati: cum eos etiam subires labores, quos cum discrimine vitæ ferendos, bono Ciui suadebat necessitas. Est hæc insignis virtus, Tui gloria sanguinis, quam Magnif. D. PETRVS PIASECKI Pocillator Nouogroden. S. R. M. Aulicus, Frater Tuus, heroica compleuit virtute. Probauit rei militaris peritiâ dignitatem, corporis virium & animi magnitudinem; quando in pugna Pilauecen. Præfectus militiæ electus, eò profecerat animi, vt periculosos quosuis anfractus tentâsset dexteritate. Neq; ab hoc laudabili recessit conatu, vlteri oris tractu temporis; nam & pro Expeditione generali, eadem præfectura potitus, quæuis ardua & difficilima aggredi proposuerat. Ita scilicet magna virtus, est auida periculi, tuta semper sectari desidiam existimat. Sed præter hanc meritorum gloriam, quam habes amplissimam; cùm hoc destinatum possideres præmium, neminem illud Tibi inuidere oportebat; neq; enim res noua sub sole, Prosapiam Tuam Inclytam honoribus, præmiis, clarere. Non recensebo hic, sæcularis ordinis Viros, vt fuerunt Mag. D. PETRVS GEORGII PIASECKI, Chodkieuiciis, Sapiehis affinitate coniunctus, Supremus Stabuli in Ducatu Lithu. Præfectus; & Mag. D. PAVLVS superstes, Subiudex Nouogroden. Notarii Terrestr. Sand. filii. Sed quia Spiritualis rei petitur exemplum. Prodeat Perillustr. & Rndiss. olim IACOBVS PIASECKI Abbas Coronouien. & alter Perillustr. & Amdum R. D. IACOBVS PIASECKI Mag. REMIGIANI Actorum Terr. Camerarii filius. Præpositus Cathedr. Chelmen. & Coadiutor Abbatiæ Mogilen. hos omnes præclara virtus, & celebris meritorum gloria promouere debuit: prout & Te debitis adauxit, adaugebitq; amplioribus, Deo dante honoribus Nihil de fortuna polliceor, de dono virtutis omnia; hanc enim dominam, illam seruam comperisti. Gaude igitur, Tuo hoc felici bono, & fruere cum gloria Rndiss. D. & hanc exilis Mineruæ opellam, in propensissimi Candoris & amoris Symbolum, sereno accepta vultu. Vale meq; Tibi affectu totissimum quoad vsq; vixero intellige, cum plurima sint, quæ me Tibi fecerunt mancipio.

Perillustris & Reuerendissimæ Dominationis Tuæ
Cliens & Seruus dedicissimus
M. STANISLAVS ZYZNOWSKI, Philosophiæ Doctor.

SENATOR BONVS, & ANTISTES.

SI quando, inexorabilem Fatorum potentiam, atq; adeò prodigam immanitatem, dulcis nostra experiebatur Patria; A. o. hâc profectò temporum infelicitate, eorum vi, atq; malignitate indignè pressa, grauiter debuit ingemuisse. Tot malorum vexata procellis, cruento lacerata Bellonæ prælio, eorum cladem, in Regni visceribus tulit Virorum; quos vidisse precium erat, cum quibus habitare securitas. Vixisset vtinam Nobis, Athlas ille Sarmaticus, Orbis Europæi gloria, Seruator & Pater Patriæ, STANISLAVS LVBOMIRSCIVS; qui satis naturæ, satis quod maximùm gloriæ, Patriæ certè parùm uidetur vixisse. Altera mox, post lugubrẽ tanti Heroæ casum, ceciderat columna; quæ arduam Reipub molem, Ecclesiæ autoritatem, Religionis Christianæ dignitatem, nunquam satis laudanda sustentabat prudentia. Ille in quam, cecidit Illustris. & Reuerendis. PAVLVS PIASECKI Præmyslien. Episc: quo vix quidquam in terris sol melius aspiciebat, cuius præsentia, tanquam sereno salutariq; sidere, inter has belli tempestates recreabamur. His orbata, frementibus hostium armis, Patria Viris, quantis tunc concutiebatur doloribus, quis dicet? Duas quasi amiserat manus, alteram quæ defendebat, alteram quæ regebat: hanc liber, illam gladius decorabat. Experti sunt, non ita pridem Patriæ Ciues, istarum potentiam manuum, heroicam admirati virtutem, quarum his belli fluctibus, tantum viguit robur, & vis quædam occulta, vt hîc eorum præsentia, contra hostem pugnâsse videretur. Sed iam, desiderata Pax doloris tui repetiit

vices, ô Alma Patria: cum iam tuo Serenitas redierit cælo, procul à lachrymis, procul à mærore abesse debes: cælestis gaudii donum consecuta. Extinctos Senatores dolere; licet, sed non expedit. Fata accusari possunt diutiùs, non mutari. Et hæc illis à Nobis iniuria: si intolerabiles senectutis claudant ærumnas: quemadmodum in his prouectæ ætatis Senatoribus, mors potius optanda erat, quàm accusanda: præsertim quos non amisisse, sed cælo aptos videris præmisisse. Et quis tam proteruæ aut dubiæ mẽtis esset; qui negaret, heroicas illas animas, propterea, hâc calamitate nostra, in cælum euolâsse: vt in oculis miserentis Dei, pacẽ quantociùs conciliarẽt, quam hîc exhaustis corporis viribus, tam citò facere non poterant. Pertæsi enim malorum nostrorum Ciues boni, illis terminum admouere contendebant ardentissimè, qui viribus olim vegetiores, in subsidium semper festinabant; armis ille, hic consilio. Præterea, non hæc illorum vita dicenda est, quæ corpore & spiritu continebatur; sed illa, quæ vigebit omnium memoriâ sæculorum, quam alet posteritas, ipsa intuebitur æternitas. Id solùm mærori nostro concedendum est; quod cum in tesseram gratitudinis, ad funebrem pompam, augustiores Magno LVBOMIRSCIO reddere adnitebamur honores: tubæ, litui, classicum sonantes, fecerunt angustiores. Desiderata modò cum fruamur pace, adimpleamus eosdem, Magno Gentis Polonæ decori, PAVLO PIASECIO, solemnibus alij pietatis Christianæ officiis, exilis ego Orator calamo. Propendebat animus, & in Tuam ô Magne LVBOMIRSKI, funebrem excurrere laudem; inuida hanc vicissitudo rerum, eripuit occasionem: serò sapere, sat inglorium; præsertim cum abundè iam disertissimorum, certatum est calamis: actum agere culpari vereor. In Tuam duntaxat modò, nullis vnquam delendam funeribus gloriam, Antistes Illustris. desudauit facundia, quæ cum Tua quæsiuit ornamenta; illa ex bono Senatore, simul & Antistite descripsit, sicut Tu optimus Senator, & Antistes fuisti. Fauete Proceres Reipub: Sapientissimi,

entiſsimi, atq; hic non tàm Oratoris dignitatem, quæ nulla eſt, quam potiùs affectum æſtimate; cuius non niſi ſimplex Oratio. In totius Europæ theatro, clariſsima eſt inſignis virtus, Magni Reip. Senatoris, digniſs: Eccleſiæ Antiſtitis Illuſtris. PAVLI PIASECKI, quæ ex oculis ſublata noſtris, tantum ſui reliquit deſiderium, vt laudari omnino, ſine aliquo dolore non poſſit. In hoc maximè culpanda eſſet, illa fatalis neceſsitas, quòd auguſtis etiam imminet verticibus, lege ſua ſceptra ligat, conſtringit diademata, purpuras trahit, per quas, & in quibus, ſalus & felicitas Reipublicæ Chriſtianæ conſeruatur & propagatur. Quod ſi natura, iure ſuo vtens, fatale debitum, à corpore ſenio labante, exigat; quid obſtaret Platonis error? eiuſmodi animas, in nobiliora iuuenum corpora migrare debere, quarum diuturna, & nullo ſuperanda æuo, expetitur præſentia. Seruauiſſent nobis benigna, PAVLVM PIASECIVM fata, qui talem ſe præſtitit Senatorem & Antiſtitem; vt non ſcribentium ingeniis, ſed re ipſa, Parens Patriæ dici mereretur. Inuidus ille eſſet, qui hoc immortale non ferret elogium: ingratus, qui præclara amoris in Patriam, non extolleret merita. Herculem ſi quis pro Patriæ ſalute excubantem, auidis deſiderabat ſpectare oculis, ſpectauit PIASECIVM; niſi quòd Theſeus deeſſet ille, qui quouis inchoato ſermone, in eius laudes erumperet, laboresq; prompta geſtientis animi extolleret prædicatione. Vicit omnem, illa tanta & incredibilis virtus inuidiam, vt eos etiam Themiſtocles audire erat, quos liuor malignus impios fecerat Harpocrates. Non erant feliciora Miltiadis trophæa, quam inſignium PIASECI meritorum gloria: nocturnam illa excutiebant quietem, hæc diurnam quoq; Ciuium ſuperabat cogitationem. Indefeſſa illa, ad ſalutem Patriæ feſtinantia, ſuſpiciebant vniuerſi ſtudia, quibus Generoſus Patriæ Heros, heroicis auctus ornamentis, ſummo cum Magnatum deſiderio, in flore ætatis, ita fideliter animum applicauerat, vt omni dierum curſu, per horas & ſingula momenta, ad commodum Patriæ

insigniter proficeret. Hæc erant desideria, Parentis sui, Magnif. olim Sebastiani de Armis *Ianina*. vt gentilitii stemãtis inter principes viros gloriam haberet: prout non fefellit vota, inusitatæ virtutis euentus, qui necdum fortasse vteri materni prærupe-rat angustias, & iam heroicus ille fætus, de Patria mereri propera-bat. Fortunata olim Heroina, Catharina, PIASECKA, gente GROMACKA *Ostoia* prognata, sua Mater decoratissima, amore Patriæ inflammata; Lacenæ mulieris adimpleuit famam, Corneliæ superauit gloriam. Grachi impuberes, cara erant suæ Matris pignora; PIASECIVS sideris propitii instinctu, iuuenis, preciosa Patriæ gemma; maturus, inæstimabilis Reipub. thesaurus, dum Senator optimus, & Antistes. Vigebit per adlapsa sæcula, memoranda fides eius, quam, omnia negotia, consilia omnia in bonum Patriæ declarabant. Probauit hanc officio, dum pro incolumitate saluteq; Reipub. non modo optimè sentire, sed vitam suam profundere, gloriosum honestum, necessariumq; iudicabat. Pulchrum erat amoris spectaculum in Fabiis, quando vna die, 30. numero, pro Patria occubuerunt. Sexcentas hic Senator zelantissimus, pro bono Patriæ, paratus erat subire mortes; qui continuos dies, noctes integras, vigil percurrens, rerum prodigus suarum, salutis propriæ immemor, tranquillitati Reipub. & bono communi paciq; prouidebat. Illum tam Generosum Athletam, Curcium propemodùm spectauissemus, si quando pro incolumitate Patriæ, vita sua in discrimen vocata fuisset. Non illum curæ ingentes fatigabant, non perpetuæ frangebant solicitudines, sed ardui quiq; labores, ex celsi animi natura fuerunt. Ita scilicet sublimes animæ, vt pelagus nunquam æstu quietum, perpetua agitatione feruntur; & nè languescat virtus, insidiantis desidiæ veternum, laborè pellunt, sæpè cum periculo ad officia promptæ, quibus nimirùm, ocium pæna est. Docuit magnæ virtutis exemplum, qualem se illa iam cana, & senio labante ad vrnam ætate, præstitit Senatorem; cuius æmulam virtutem sui Conci-

ues

ues & Collegæ, frequentibus experiebantur conuentibus. Crebræ illæ ægritudines, non poterant Manlii Torquati in eximio Senatore probare desidiam, quam leuis oculorum affectio, à gerendo excusauerat Magistratu: ille fortitudinis, constantiæq́ obarmatus panopliâ, mirum in modum vires suas instaurabat, ne videretur luctari cum officio, & cedere oneri quod semel receperat. id enim ad D. sententiam Bernardi turpe. Quod igitur verius ac melius, veri in patriam amoris, potest haberi documentum, quàm, vt viuat patria, vitæ suæ prodigum esse. Ita quondam, Rex Atheniensium Codrus, medios proruperat in hostes, qui per necem suam, ex Oraculi effato victricem palmam Athenis laturus erat. Persimilē nobis, inuisa fata eripuerunt Virum, qui quam à patria mutuatus erat vitam, eam illi iure optimo reposcenti reddebat. Inusitati in Patriam amoris, nobilis ille Ciuis, hanc dabat, pro ratione doctrinam, quam decerpsit ex magno Politicæ Magistro Aristotele, in Rhet. ad Theod. *Aluit me hæc tutè, atq; honeste produxit vsq; ad hanc ætatē. Muniuit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis; quid est? quod à me ei persolui possit satis, vnde hæc accepta sunt.* Hoc ipsum, omnibus memorandi sæculis, inculcant annales, vbi ignita literarum acie, indelebilem hanc infamiæ, quibusdam incussit notam: qui tot inutilibus, imo damnosis, & impiis impliciti curis, honestā hanc & debitam præcipuamq́ curam patriæ, neglexerunt aliquando. Docuit sequentem posteritatem, Senator Patriæ amātissmus; Rempublicam summum quendam hominem, àc planè diuinum exposcere: in quo suam felicitatem, quietem, salutem reponat, & quo duce administratoreq́ nixa, omnia pericula, seditiones, discordias, mutationes inclinationes superet; felicemq́ semper & beatam pacem, àc tranquillitatem sit habitura. Atq́ vt cæteras prætermittam virtutes, quibus bonus Patriæ Senator elucere debet, prudentiam ita esse necessariam existimo, quâ nulla res in humanis maior, meliorue haberi potest. Hæc est plusquam Mineruæ lampas, quæ suo illapsu fortunato, gem-

meos

meos soles, gemmeam in Regnis, Imperiis, parturit felicitatem. Hæc enim est oculus ad Reipub. gubernacula sedentium, quam qui non habet, cæcutienti persimilis. Sine hac non modò virtutes exerceri, sed nè comprehendi quidem possunt. Est illa ingeniosissima contra artem, sagacissima contra astum, geneosissima contra terrorem, imperterrita contra exasperatam & fucatam maiestatem; artem ingenio, astum consilio, terrorem indomito vigore, mentitam maiestatem apta constantia superare consueuit. Tantam prudentiæ virtutem, vim & maiestatem, si quis Oratorum laudauit in aliis, in nostro admirari debuit PIASECIO. Non hîc illum, comparabo septem Græciæ sapientibus, quia illi pro suo æuo sapuerunt multùm, parum pro nostro. illi suo tempore excitârunt omnium admirationem, nos iam PIASECIVM, dum esset viuus, viuum sapientiæ credebamus esse oraculum. Non oportebat, priscam illam veterum inquirere veritatem, qui prudentiam, terno oculorum lumine dicebant esse præditam: cùm reuerá præsto hæc prudentiæ in superstite reluceret imago Senatore. Habuit inprimis rerum memoriam præteritarum, intelligentia deinceps laudata superabat ingeniâ: dum consultationibus, quæ ad illum grauissimis dê rebus adferebantur, miro ingenii acumine, prudentiæq́; responderet soliditate. Erat quadam alta præditus mente, dum nulli parceret labori, vt quantociùs veritatem in obscuris inueniret: & difficultatem in dubiis aperiret. Meritò dolet illum Equester ordo, accusat Amplissimus fata Senatus, cuius proficuam sapientiam auido, hauriebat pectore. Probauit prudentissimus Senator, dexteritatem suam, in tot publicis expeditionibus, commissis á Serenissimis Regibus negotiis, nec erat arduum quidquam, vbi felicitatis gloriam non haberet. Dederat experimenta prudentiæ suæ, nondum matura valdè ætate; quem SIGISMVNDVS III. Rex felicissimus, Episcopatus Varmiensis, pro Sereniss. Principe IOANNE ALBERTO fecerat Administratorem. Iterata

post

post modũ vice, Episc. Vratislauiensem pro Serenis. Principe CAROLO FERDINANDO, administrandum commisit. Priùs adhuc probauerat dexteritatem suam, quando ex Capitulo Illustri Poznanien. ad Tribunal Regni deputatus Iudex, suam functionem expediuerat gloriosè, Ad eam tandē ex illa experientia peruenerat prouidentiam, vt eam tertium prudentiæ oculum, meritò appellare posis. Nihil enim accidere poterat, quod ipse sagacisimo, non præuidiset ingenio, de eoq; prudentisimè statuerat. Ita perspicax erat, ita omnium discutiebat tenebras insidiarum, ita consiliorum arcanorum caligines euoluebat; vt non oporteret Dodonea aut Pythea consulere oracula. Pulchra illa surgentis ad gloriam ætatis indoles, præsaga erat futuræ eius dexteritatis & prudentiæ, quam tantis Diuina Bonitas auxerat ornamentis, vt Serenis. Regibus gratior ipsis Charitibus esset. Quid aliud pellexerat in amorem Iuuenis, magnum quondam Regni Poloniæ Marschalcum, *Sigismundum* à Mirow Myszkowski, nisi venustus indolis decor, luce doctrinæ irradiatus; quem olim futurum iubar Reipub. eximium, spe non dubia præconceperat. Promouit gratiosum Iuuenem ad Aulam Serenis. Regum, vbi ex insigni eruditione sua, ætatem superante, apud SIGISMVNDVM Regem sapientisimum, ad inuidiam aliorum magno erat in precio. Nemo erat ea tempestate, styli dignitate felicior, & qui meliùs in literis ad Principes & Monarchas mentem explicâsset Regiam. Nouerat benè Rex Serenis. ingenii felicitatem, iudicii acrimoniam, prudentiæ excellentiam, perindeq; in difficilioribus quibusue expeditionibus, non aliâ vtebatur manu. Ita scilicet pallato accesserat Regio, vt quidquid Rex saperet prudentisimus, idē ille sapere videretur. Magna hæc profectò laus est, quæ venit ex literis, cum per eam animi dignitas elucescat. Rarus est hoc tam deprauato sæculo, qui simili gressu ad fauores Principum pergere contendat. Plurimi fortunæ emendicant auxilia, quibus virtutis deest subsidium. Inuidiam eiusmodi homines, in

virtutis alumnos exerunt, quibus detrahunt, quod sibi deest. Fortunam vt dominam adorant; virtutem *seruam fortunæ* sensu iniquo arbitrantes. Ille vir eximius, sola virtutis dexteritate, eru ditionis præstantia, promoueri studebat, qui parùm ad Nominis gloriam iudicabat, esse Iouis filium, & Mineruæ spurium. Non dant immortalitatem purpuræ, sed eam accipiunt; sola animi dignitas, nescit emendicata viuere gloria, at propriis surgit in altum lacertis. Sudauit hic Generosus Heros in gloriam suam, qui statim à puero, salutaribus literarum voluit erudiri disciplinis. Non perdebat preciosum iuuentæ tempus, sicut perdunt illi, quibus ocium & venter Deus est: mentis etiam fieri nobilis curauit, quando domesticis institutus literis, 17. ætatis anno, Pragensem concesserat scholam; illinc postmodùm, Romam se contulit: vbi quatuor annis, insigni cum profectu, studia tractauit. Reuersus tãdem in Poloniam, Aulæ Regiæ adscitus, Canonicatum Poznaniens. obtinuit. Nec sufficiebat illi profecisse in scientiis: iterata vice, ad eas perficiendas, ad Romanã perrexerat sapientiam, vt diuitem sibi, in Patriæ emolumentum, eruditionis compararet suppellectilem. Quomodo igitur, à Serenifs. non potuit non amari Regibus, qui dignitate eruditionis inclytus, omnes honorum gradus promeruerat. Optimo iure, (vt ad Te conuertam calami cursum) *D. Rex Sigismunde*, augustam eius prudentiam, dignis decorasti honoribus; quando maturescentem, primò Canonicatu Varsauiens. post Archidiaconatu Lublinen. & Varsauiens. tandem Præpositura Califs. cum Canon. Sandom. cumq; Bledzouien. non acceptaret Abbatiam, ex causa Religiosæ Profesſionis; maturum iam, Abbatia Mogilen. post Senatoria & Præsulis auxisti dignitate. Virtutis & Sapientiæ magnitudo, dignum illi honoris extruxerat Capitolium, Tu Rex sapientifs. vt illud ingrederetur, permouens causa esse debuisti. Nihil est ô fortuna, quo posſis de tanto gloriari Viro, nihil à te habuit, virtuti debet omnia. Virtutem laudauit Matrem, te semper nouercam cognouit. Non aliam sibi viam pro-

posuerat

posuerat calcandam ad Aedem honoris, nisi quæ esset per templum laboris & doctrinæ; ne communi via, fortunam agnosceret dominam. Noluerat benè, dubiæ sortis in constantiam, Deæq; volubilis fallaces ludos; ideoq; firmius sibi in virtute, quàm in casu præsidium collocauerat. Hic te iam compello, ô Illustre Præmyslien. Cathedræ Collegium, etiamnè tu sapientem doles Præsulem? dum respondes; moueor in lachrymas, tuo permisto singultibus sermone, quo inuidũ accusas fatũ. O inuidũ Fatũ! Ita nunquã perennare sinis, quod extingui nunquã deberet; ita virtutis illius non fert meridiem, cuius occasum, intueri nemo vellet: ita nihil mortalium cætui relinquit, quo priuari nunquam homines desiderarent. Non sine causa doles, cum tali orbata sis Præsule, quem in decus tuum, laurea cinctum, orbis venerabatur. Laureatæ eius sapientiæ, qui laudata conspexit opera, nihil meliùs viderat, quod admirari vellet. Nihil dico hîc, quâ prudentia in regendo vtebatur Clero: non commemoro, quomodo inusitata luce doctrinæ, Camenecen. Chelmen. Præmislien. Diœceses frequenti Schismate, variaq; hæresi intricatas, illustrabat, serenabat: vt sal terræ, verbo Domini condiebat, instruebat, insultus Hæresiarcharum frangebat. Verùm scripta ipsa dicenda, quæ illum fastis inscripserunt immortalitatis. Sapientissimi quiq; per orbem vniuersum, amplectuntur eius sapientiam. Et vt omittam plurimos alios, Clarissimum hâc tempestate Iureperitum *Barbosam* allego, qui in libro *de officio & potestate*, Parochi, crebris versibus, Praxis Episcopalis (quæ est genuinus fætus, demortui Præsulis) adfert doctrinam. Egregia Chronicorum opera, styli dignitate clarissima, iudicij, prudentiæ, experientiæ, sapientiæ, amplitudinem referunt tantam; vt meritò inter optimos quosuis Hystoriographos optimus, inter laudatissimos laudatissimus, ore Gentium prædicetur. Et hæc est magnorum sententiâ virorum, veri boniq; Præsulis propria eaq; dignissima virtus, monumentis clarescere scriptorum. Fieri nequit, vt Episcopus singulos in lege Christi, ore proprio erudiat,

ſedcommunicata per libros doctrina, meliorē in modum erudire poteſt. Quemadmodum tot Eminentiſsimi Cardinales, & ſapientiſsimi quiq; erudiuerunt Præſules; qui non alieno viuebant ingenio, ſed cuncta vitæ tempora, in id ſolùm conuertebant, vt propriis gregi Chriſti prodeſſent ingeniis. Ita & hic digniſsimus Antiſtes, in perpetuis conſenuerat laboribus, nullum ineptiis & oblectamentis prophanis relinquendo tempus. quanquam hæc, vt repugnabant ſtatus ſui dignitati, maximè naturæ, quæ ad ſeria & quæuis ardua erat compoſita. Ita Antiſtes Sapientiſſimus, non fictum, neq; ſtylo adumbratum, ſed viuum exemplum, atq; rebus ipſis expreſſum; ſpiritualis vitæ hominibus m-it à Deo propoſitum: vt in eo ceu quodam illuſtri monumento, eſſent repoſitæ omnes, Præſulis boni & Senatoris virtutes. Iuſtitiam eius, dum verecundo tangere calamo attento, timere incipio; ne dum eandem laudare volo, per tenuitatem meam iniuſtus fiam. Iuſtitia illa eſt auguſta virtus, cui ex origine Regum, purpuræ & Cæſarum diademata, ſe ſe mancipio dedicant; eò quòd Vniuerſi orbis calculo & decreto, illa ſit Regnorum parens, nutrix Imperiorum. Priſca illa ſæculorum ſapientia, Aſtræam Deam venerabatur: Sapientiſsimus hic Senator, non iam ſuperſtitioſo cultu, ſed Chriſtiana obſeruantia, illam vt Principem & Dominam virtutum impenſè colebat, in ſuum, & Reipub. commodum. Nouerat benè. iuſtitiam eſſe omnis Chriſtianæ perfectionis baſim, & fundamentum, ſinè qua virtus, nulla virtus, perfectio, nulla perfectio, ſi ad iuſtitiam vt ad axem, non terminetur. Hæc etenim eſt regula virtutum, amuſsis præclarè geſtorum, actionum regula humanarum. Non poterat aliter eſſe bonus, niſi fuiſſet iuſtus, prout nemo optimus, qui ad ſtateram iuſtitiæ ſua non examinat facta. Seruauit hanc extinctus Senator cum illo feruore, vt eſſet probitatis exemplum, norma viuendi, & vt Antiſtitis & Senatoris ſeruaret dignitatem, eam in ſibi ſubiectis cuſtodiuit diligenter. Nimirùm.

Iuſtitiæ cultor, rigidi ſeruator honeſti.

nihil

nihil turpe, nihil inhumanum, nihil indecorum admittebat; nihilq; magis curabat, quàm vt mutua coniuncti beneuolentia inuicem viuant, ab iniuriis ſeditionibus, odiis, inimicitiis alieni, aliena non apprehendendo, cuiq; ſuum tribuendo. Meritō aſylum Iuſtitiæ, vt Senator; legum Sacrarium diuinarum, vt Epiſcopus appellari potuit. Conſultationes, Sententias, & vota ad condendas leges, tali ordinabat prudentia, nè quod in oppreſsionem pauperum, aut iniuriam bonorum, innocentum afflictionē ſanciretur. Non potuit ferre oculis miſeriam alienam; quem ſui ſubditi beneficum luxerunt Dominum. Ita certè intelligebat ſuper egenorum miſeria, vt eum omnes vbiq; terrenum experirentur Iouem. Quomodo ad hanc laudem Senatoris, non erubeſcent illi, qui iuſtitiæ oculos compungunt, innocentes opprimunt, & tānquam belluæ, cruore viſceribusq; proximorum ſaginantur. Poterant didiciſſe ab optimo Antiſtite, iuſtitiam crudelitatem eſſe, quam non operiret charitas. Memorandus æternùm erit PAVLVS PIASECIVS, cuius Iuſtitiam deprædicant obſeruantiſsimi ſui Antiſtitis Sacerdotes, in quibus erroris culpam, quoties oportebat, pro officio Paſtorali damnabat, perſonam tamen honorificè tractabat, ne læderet quod character haberet. Gaudeo non mediocriter, quod & illum D. laudauit Hieronymus, cum Theophilum Alexandriæ laudaret Epiſcopum, hæc in verba: blandiris vt pater, erudis vt Magiſter, inſtituis vt Pontifex; veniſti ad nos in auſteritate virgæ, ſed in ſpiritu benignitatis, lenitatis, & manſuetudinis. Impius eſt, qui hoc, extincto Præſuli non tribuat elogium: qui aſſeueranti contraueniat; ingratus ille, quem in cauſis fori commorantem, ſua opima, non raró reficiebat menſa. Et hoc eſt rarum, optandum tamen in aliis, hoſpitalitatis exemplum. Venio ad alteram iuſtitiæ Paſtoralis authoritatem, quam cùm in dicenda veritate inuenio, hîc iam ſilere cogor. Eſt illa in memoria Ciuium, ſacro illo ore prolata, toties quoties comitys tam particularibus quam generalibus, & quibuſuis aliis interfuerat

conuentibus, semper ibi claram dicebat veritatem. Est & in laudatissimis suis Chronicorū operibus, quæ qui oblatrat, veritatē oblatrat, mendax ipse. Non scripsit Panegyricum, sed historiam lucem veritatis, magistram vitæ, temporis testem. Parcat iam liuidus verbis, & si quam tulit iniuriam, cur ad illas superstitis fuit tenebrio voces, quibus heroicam & inuictam explicabat mentem. *Quæsitum veri studio odium non verebor, & inuidiam meritis partam inter titulos numerabo.* Tertia tandem & vltima Iustitiæ Præsulis gloria, est posita in rebus, hanc dignissimus æterna memoria Præsū', non tam ad sacrorū Canonum postulata, quàm ad candidi puriq; pectoris, seruauit dogmata. Quilibet vel inuitus aut inuidus ipse, fateri debebit: quòd beneficia quæcunq; à Sereniss habuerat Regibus, ea non tam in suum, quam Ecclesiæ, Patriæ, inopum, acceperat emolumentum & vsum. In Episc. Camenec. duas Ecclesias, lateritiam vnam Czerncensem, alteram ligneam Scalensem exstrui fecit. Mogilensem verò, aris marmoreis, variisq; ác multiplicibus locupletauit ornamentis. Sacras Cænobii Aedes toties restaurare curauit, quoties ipsa postularet necessitas. Non defuit & Patriæ sumptibus; namq; pro commoditate Episcoporum Camenecen. palatium in ciuitate finitima Kamieniec magnificè extruxit: & Arcis Czarnokozien. propugnaculum, à fundamentis erexit, erectum tormentis, bombardis, optimè muniuit. Si spectes munificentiam, hanc grati deprœdicant affines & consanguinei, quibus pro excolendis artium honestissimarū disciplinis, sufficientes dabat impensas. Nepotibus ex Fratre Charissimis, ne hæreditates paternas haberent exhaustas, tales impendebat sumptus, quibus ad ornamentum Patriæ, Reipub. commodum, sua percommodè exsoluissent seruitia. Laudant abundè liberalitatem Religiosi, extollunt inopes & egeni beneficentiam, quibus largas erogabat eleemosinas. Ipsi inopes subditi, satis de amisso benefactore dolere non possunt: his etenim, in laboribus & censibus, paternè indulgebat. Nihil prorsus tale erat, quod ad iustitiam numeris omnibus

absolutam

indignissimo Antistite desiderari videretur. Laudata illa cælo maior pietas, cognata iustitiæ, plurimùm facit ad laudem iustitiæ: quarum virtutũ cultor erat æquanimis, vt idem pietas vellet, quod suaderet iustitia. Suasit hæc spiritu viuere Magno Ecclesiæ Antistiti; pietas secuta consilium, spiritualem professa vitam; quominùs aliquid esset, quod communis vitæ, conditio vendicaret. Præcelsâ vitæ innocentia Angelum referebat, quæ fuit Sanctitatis exemplum, perfectionis prodigium. Non potuit vnquàm aliqua conspergi labe, aut corruptæ vitæ notari famâ, qui anachoritam, proprii custodia corporis superauit. Magnum fuit virginei pudoris argumentum, præsentibus cubiculariis, adiacentes corpori non exuere vestes, pedes non mundare, lecto se non conferre, quam consuetudinem, etiam confecta annis ætate, ad supremum vsq; seruauit diem. Et hæc fortasse rigida valdè obseruantia, vitæ illius accelerauit periodũ: dum morbo acutiori pressus, contra ægri corporis immunditiem, instaurabat vires, ne leuis aliqua turpitudo alieno notaretur oculo. Atq; hinc, deprehendi facile potest, eius vitæ integritas, cuius verecundia in animis hominum stupenda resedit. Hæc etenim est custos virtutum, innocentiæ propugnaculum, arx honestatis, fomes & occasio probitatis. Eâ sublatus è viuis Antistes, inclaruerat morũ integritate, vt non modo excellentissimis quibusue viris, exemplum esset; sed nemo etiam infimæ sortis reperiebatur, qui ad benè beatèq; viuendum, ex eo, non posset sibi normam & regulam sumere. Altiora pietatis cacumina, cum tremebundo stylo in diuino Antistite considero, pharos quædam multa luce referta spectabatur. Siue feruentem, in promouendo cultu diuino perdendo zelum, dignus est, vt amore Aegyptiorum, cineres eius vitreâ inclusi tumbâ, pateant oculis hominum, quatenùs idem feruor sæpiùs menti porrectus, succrescat in posteris. Siue insuper priuatum Dei cultum recogito; illo, plusquam religiosus fuit: qui licet si arduis Reipub. occuparetur negotiis; diem se vt alter Appelles, in grauem iacturam putabat perdidisse: Si quando con-

ſuetis orationibus, piis meditationibus debitum non impenderet tempus. Nolo hîc auſteram deſcribere vitam, quia hanc ſuperſtes, ſoli Deo cognitam eſſe voluit. Illud præterire, nullo modo poſſum, quomodo mortalem ſe, ſingulis recogitabat diebus, vt totam vitam eius, continuam ad mortem viam dicere poſsis. Hanc ipſam, ſuus Enthuſiaſmus Diſtichis comprehenſus, explicat veritatem, atq; inprimis, dum Camenecen. relinqueret Epiſcopam Chełmenſi inauguratus. hæc ſcripſit.

Hîc macui, raucæ cecinere hîc geſta Camenæ
Europæq; meæ, curaui hîc ſacrâ valete,

& ex Chełmenſi in Præmislienſem vocatus, fecit.

Mens fuit hîc rerum metam, poſuiſſe modumq;
Tarda vt me ludant, pergere fata cogunt.

Hæc ſcilicet Nouiſsimorum memoria faciebat, vt perpetuò cum Deo ageret; cogitationibuſq; cælo fixus, procul à terra ad cœlum, ab hominibus ad Deum, curſu aſsiduo contenderet. Sublimis tamen hæc vitæ perfectio, faſtus & arrogantiæ expers fuit, profundæ innixa modeſtiæ. Non ſublimauit illum ſanctitas, ſed humiliauit, non tanta dignitatis eminentia, ſuprà homines extulit, ſed infrá religioſam poſuit humilitatem. Officio ſe probauit Senatorem & Præſulem; non affluentia prouentuum, aut inſolito præ diuitiis tumore, quas dono virtutis poſſederat. Grauitatem illam, cum facilitate, maieſtatem cum modeſtia, dignitatem cum humanitate, prudentiam cum ſimplicitate coniungebat: nec quicquam in eius vultu, geſtu, ſermone, inceſſu cernebatur; quod non omnium excitaret admirationem, laudemq; mereretur. Facilem ſe omnibus, mirè humanum, mirè affabilem præbuit, grandem eorum condemnans mentis errorem, qui Perſico faſtu, caro cum precio oris ſui notitiam, pandunt; quos ianuæ ferratæ, portæq; adamantina firmitate includunt, quorum latus, ſi vnquam ſecreto ſuo ſatiati prodeunt, vndiquaq; teſtudo ſatellitum claudit, cœlum excitato puluere obducens. Non incutiebat hic terrorem, pediſſequâ inutili familia, ſed illa

ſelecta

ſelecta, beneq́ morata Nobilium iuuentute, dignitate Aulicorū, Senatorii honoris, præſentabat amplitudinem. Pulcher erat ſeruorum modeſtiâ, quam ipſe exemplo ſuo edocebat. Ipſa oris dignitas diuinum quiddam ſpirabat: non ſicut perfidi Iuliani vultus, naturæ contumelia genitus, ſpirauit maliciam; ille oculis intuentium, honeſta quæq́, ſine voce & clamore præcipiebat. Nemo erat felicior, qui eleganti corporis ſymmetria, melius exprimeret modeſtiam, explicaret pietatem. Occurſus eius etiam iuuabat, nam erat aliquid, ex quo tacente proficeres. Reliquas conſultò prætereo virtutes, ne in immenſum creſcat oratio; præſertim, cum tantæ Magnus Præſul, fuerit perfectionis, vt etiam, ne quidem Xenophontis ore, explicari poſsit. Vtinam ſemper eiuſmodi progeneres filios, ô Alma Patria, quorum laude, & famâ meritorum, tua laus creſcat; & in quibus florere perenniter vigereq́ poſsis. Imò gloriari debes tuorū meritis filiorū, gaudere felici prole, quòd ſis Virorum ſanctitate doctrinaq́ clariſsimorum, fæcunda parens, quod ſubtilium alumna ingeniòrum, quòd fortiſsimorum pro Religione Catholica, Athletarum, pro creatrix, quod diuinorum fortunata genitrix Myſtarum. Quid eſt ! quod amplius in tuo deſiderare debuiſti PIASECIO. Ciuis ille bonus, quia amore tuo, ſalutis propriæ immemor. Senator optimus, quia prudentiæ ſacrarium, ſapientiæ lumen, iuſtitiæ Areopagus, pietatis exemplum. Præſul & Paſtor digniſsimus, quia vitæ innocentiâ Angelus, ſanctitate pluſquam homo, verecundia pluſquam Virgo, modeſtiâ pluſquâm Sacerdos, zelo veritatis colendæ, alter D. Stanislaus, orbi inclaruit vniuerſo. Rem paucis dicnm, fuit ille Vir, qui vno pectore, Antiſtitum & Principum ornamenta concludebat: cuius vita continuus erat gloriæ curſus. Quare, fruere iam immortalis Senator & Antiſtes, tuarum meritis virtutum, nos hîc tua fruemur ſapientia. fruere æterna felicitate, nos hîc æternûm tuæ applaudemus gloriæ. hoc dicimus, id vouemus.

D I X I.